

peccatum, quod solum est obstaculum ad gratiam recipiendam; neque erat ex parte Dei; si enim Deus illam præservaverat a peccato, talis præservatio non ordinabatur, nisi ut eam sanctificaret: ergo ex parte Dei non solum non erat impedimentum, sed potius erat maxima convenientia, ut eam simul, & a peccato præservaret, & gratia sanctificationis exornaret.

III. Probat. Si non fuit sanctificata B. Virgo primo animationis instanti, fuit saltem sanctificata secundo, vel tertio, vel aliis instantibus subsequentibus. Quærimus, vel hoc fuit, ut se disponeret per actum proprium ad primam gratiam, vel alia ex causa. Si primum; sufficit, quod in priori naturæ se disposuerit: Unde affirmat S. Bernardinus apud Hennum, quod B. Virgo quum habuerit usum rationis a primo illo instanti, ex tunc potuit quoque Deum diligere, vel alium actum meritorum exercere, & sic se disponere ad recipiendam gratiam sanctificationis. Si ex alia causa, quum non fuerit hæc alia causa adhuc ab Adversariis allata in medium, nos non possumus eam, neque examinare, neque rejicere.

Dicimus II. B. Virginem non habuisse omnem gratiam a primo suæ Conceptionis instanti.

I. Probat. B. Virgo fuit vere viatrix in hac vita, adeoque in statu viæ permansit quoad vixit; sed qui est in statu viæ, est in statu accretionis meritorum, vel decretionis, si confirmationem non habeat in gratia: ergo B. Virgo, quum non fuerit in statu decretionis, quia fuit in gratia confirmata, ut probabimus mox, fuit tamen in statu accretionis meritorum: ergo semper crevit in gratia: ergo non habuit omnem gratiam a primo suæ conceptionis instanti.

II. Probat. B. Virgo plurimos exercebat actus meritorios, & illa etiam suscipiebat Sacramenta, quorum erat capax, ut est communis Doctorum opinio: vel ergo dicendum est, quod hujusmodi actus meritorii, & hujusmodi Sacramenta, nullam in B. Virgine gratiam peperissent, adeoque fuissent frustranei; quod nemo asseret, qui sit rationis compos: vel asserere debemus quod in B. Virgine importaverint gratiam sibi metipsis correspondentem. Et hoc concessio, clare deducitur, quod B. Virgo non habuerit omnem gratiam suam a primo suæ Conceptionis instanti; ut in Conclusionem proposuimus.

PAR. IV.

III. Probat. Nec Scripturæ enunciant; neque Patres docent, nec Pontifices, nec Concilia definiunt B. Virginem habuisse omnem gratiam suam a primo suæ Conceptionis instanti: ergo non est nobis ratio, ut hoc dicamus; quum aliunde ordo deposcat, ut habuerit semper incrementum in gratia, quia in statu viatoris erat, & rationes præcipuas merendi habebat, quibus gratia semper augmentatur.

Dicimus III. Gratiam B. Mariæ Virginis fuisse tantam, quantum dari uni puræ Creaturæ, possibile est; adeoque fuisse majorem, quam fuerit in omnibus Angelis, & hominibus simul sumptis.

I. Probat. ex Bernardo, Concione 61. dicente: *Excepto Christo, tanta Virgini data est gratia, quanta uni puræ creaturæ dari, est possibile.* Ex S. Bonaventura in Speculo cap. 13. *Tanta gratiarum copia abundavit in Maria, ut etiam ipsa gratiosa Virgo gratia quodammodo dici possit.* Ex S. Petro Damiano serm. de Assumpt. *Inter animas Sanctorum, & Angelorum Choros supereminet merita singulorum, & omnium titulos antecedit, & spirituum hebetat dignitatem, ut sine quasi non sint.*

II. Probat. In prima sanctificatione fuit data a Deo Virgini intensior gratia, quam ulli hominum, vel Angelorum in sua prima sanctificatione data fuerit: ergo gratia data Virgini, etiam in sua prima sanctificatione, est amplior quacunque gratia, data cuilibet puræ creaturæ. Probat. antecedens. B. Virgo in sua prima sanctificatione habuit gratiam ampliore, quam habuerit Joannes Baptista in sua sanctificatione in utero; sed Joannes Baptista in sua sanctificatione habuit gratiam intensiorem, quam habuerint, vel quam habeant, vel quam possint habere cæteri infantes, etiam si in matrum utero per martyrium moriantur: ergo &c. Major est certa; quia nulla est comparatio inter Sanctissimam Virginem, & Joannem Baptistam. Minor probatur; tum quia de Joanne Baptista dictum est: *Spiritu Sancto replebitur*; tum etiam, quia, ut ait Suarez, verba illa: *Non surrexit major Joanne Baptista*; a multis de prima sanctificatione expohuntur; tum denique, quia ad munus altissimum singulari modo, & privilegio fuit Joannes a Deo sanctificatus: ergo sanctificatio illa prima, quam habuit, huius muneris altissimo correspondens, debebat quoque esse altissima, & gratias omnes aliorum infantium etiam illorum, qui per martyrium in utero moriuntur, longe excedens.

F 2

III.